Eugenius episcopus servus servorum dei Dilectis filiis Incolis et Habitatoribus Terre nostre Montissancti Firmane diocesis Salutem et apostolicam benedictionem

Sincere devotionis affectus quem ad nos et Romanam geritis ecclesiam non indigne meretur ut petitionibus vestris quantum cum deo possumus favorabiliter annuamus
Hinc est quod nos intendentes vestris comoditatibus per quas a laboribus et expensis ac scandalis relevari possitis paterna caritate consulere vobis quod in omnibus et sin-
gulis tam Civilibus quam Criminalibus quam etiam mixtis ac nullitatum necnon reductionum causis cum earum dependentibus et conexis contra vos coram quibuscumque
Judicibus aut Arbitris vel Arbitratoribus inter vos moveantur per quascumque alias personas in Terra nostra Montissancti pro tempore ventillandis in primis sententiis
seu pronuntiationibus ad Judices seu Rectores seculares Priores nuncupatos eiusdem Terre seu ad Officialem per eos super hoc pro tempore deputandum et non ad gene-
ralem Marchie nostre Anconitane Judicem seu eius Curiam quovis quesito colore directe vel indirecte appellare possitis ac debeatis quodque huiusmodi cause in Secundis
earum instantiis huiusmodi per eosdem Priores vel ab eis deputandum Officialem terminari debeant auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus districtius
inhibentes prefato Judici Curie generalis necnon Rectori dicte Marchie pro tempore existenti ne ipse de causis appellationum in Secundis instantiis huiusmodi se intro-
mictere quoquo modo presumat ac decernentes ex nunc quoscumque processus in contrarium habitos et sententias latas irritos et irritas ac inanes nulliusque existere roboris
vel momenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis inhibitionis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis
autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. Rome apud Sanctumpetrum
Anno Incarnationis dominice Millesimoquadringentesimotricesimotertio Quarto Kl. Junii Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ra. grat.

L. de Orto

Mccccxxxiiij Indictione xj die septimo Julij registrata fuit dicta bulla in registro thesaurarie Marchie per me Antonium de Spoleto notarium camere apostolice.

Privilegium secundarum causarum

R

Eugenio IV.

N.° 38.

1434

39